S. D. N.

CLEMENTIS PAPAE VIII.

Præſcriptio normæ dandi licentiam ab Ordinarijs ad ædificanda in poſterum Regularium Monaſteria.



CLEMENS PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam ad inſtitutam Regularium locorum, & perſonarum reformationem promouendam, & conſeruandam maximè pertinet, vt in quibuſq; Domibus, & Monaſterijs is tantus numerus Religioſorum, qui commodè ibidem ali poſſit, contineatur, ac eò pariter ſpectat, vt in quibuſq; Ciuitatibus, & Locis nouæ Domus, & Monaſteria, præſertim Mendicantium non erigantur, niſi in eiſdem Ciuitatibus, & Locis, aliorum Domorum, & Monaſteriorum in eis exiſtentium habita ratione, commodè ſuſtentari poſſe dignoſcatur. Hac igitur nos conſideratione ducti, & in præmiſſis pro noſtro Paſtorali munere opportunè prouidere volentes. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, deq. Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine: Ex voto etiam Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper conſultationibus, & negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, harum ſerie declaramus, Locorum ordinarios non poſſe licentiam ad nouos Conuentus cuiuſq; etiam Mendicantium ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iuriſdictioni ſubiectis erigendos impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus, & cauſa ſeruatis ſeruandis cognita conſtiterit, in eiſdem Ciuitatibus, & locis nouos huiuſmodi erigendos Conuentus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe: Si verò ab eorum in huiuſmodi cauſis ſententijs ad Nos, & Apoſtolicam Sedem prouocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiù erectionē nouorū Conuentuum ſuſpendere debere, quouſq; à Nobis, & Apoſtolica Sede in eadem cauſa pronunciatum extiterit, irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuerſis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, vt præſentes noſtras litteras obſeruent, & obſeruari curent, & faciant. Non obſtan. quibuſuis Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſcunq; ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Iulij 1603. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

NOS HIERONYMVS Miſeratione diuina tt. S. Pancratij S. R. E. Presbyter Cardinalis Matthæius, ac totius Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia protector, omnibus, & ſingulis præſens tranſumptum Literarum Apoſtolicarum, circa normam concedendi ab Ordinarijs licentiam ad ædificanda in poſterum Monaſteria, præſertim Mendicantium pro parte Reuerendi Patris Fratris Ioannis de Rada eiuſdem Ordinis de Obſeruantia in Romana Curia Procuratoris Generalis, nobis exhibitarum, viſuris, lecturis, pariter, & audituris notum facimus, & atteſtamur; qualiter originalibus litteris, quas non caſſas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas vidimus; concordat. In quorum fidem, & teſtimoniū has præſentes noſtras atteſtationis Litteras, etiam imprimi, & noſtri ſoliti ſigilli, quo in ſimilibus vtimur impreſſione communiri, & per Notarium infraſcriptū ſubſcribi fecimus. Actum, & datum Romæ in ædibus noſtris, Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo ſexcenteſimo tertio, Die vigeſimaſexta Menſis Augusti, Pontificatus vero S. D. N. Clementis Octaui, Anno Duodecimo.

Hier. Card. Matthæius Protect.

Loco ✠ Sigilli.

Io. Bernardinus Elias Not. publicus ſubſcripſi.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. MDCIII.